



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Moderandus luctus in funere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

nifrationem ac prudentiam mirabiliter effingant, atque ad rerum vel secundarum, vel aduersarum eventus aequo animo perferendos disponant. Musica nos monet, ut sicuti est varietate vocum & fidium, grata & consentiens oritur symphonia, ita omnes animi motus & actiones in dulcem virtutum convenientiam harmoniam. Musicus est veluti Neptunus poeticus (quod infra memorabimus) qui tumida aequora placat, cum ventus ambitionis, ac furentis iracundiae saevos attollit fluctus: cum moeror subsidit, & furit aestus arenis; cum libido inquietat: cum aliae perturbationes violentius incitantur, dulci modulamine componit tempestatem; coercetur libido exultans, atque ruens in animi perniciem gloriae ardor refringitur, implacabilis irae vis, & cupido ultionis tranquillatur. Davidis equidem plectrum non furentes tantum perturbationes, sed ipsum cacodæmonem est Saule eiecit.

II. (b) Deinde hic docetur neque sapiens, neque pium esse, illorum sceleratorum lugere calamitates, qui divino consilio atque providentia propter illatas ipsis Dijs injurias, miseriam patiuntur.

III. (c) Tertio brutis fieri similes, qui immodico luctu ex iactura charorum capitum abrepti, motibus animi temperare aliqua saltem ex parte non possunt: neque ferre nituntur aequa mente, quod statutum divinitus, nullaque potest ratione mutari.

IV. (d) Quarto *cygnea cantio* adagio fertur, & in eos convenit, qui mortem ipsam lætè, & cum cantu excipiunt: nam cygnus in funere suo suavissime modulari fertur. Martial. lib. 13.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua

Cantator cygnus funeris ipse sui.

Et Ovidius:

Sic ubi fata vacant, udis abjectus in herbis

Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Cygnum imitantur, qui extremum vitae actum suaviter claudunt, moriendique necessitatem in virtutem vertunt. Qui, ut Cygni (quod Tullius ait in *Quæst. Tuscul.*) prævidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur. Pro Dijs immortales, (idem exclamat) quam illud iter jucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! *Pretiosa mors Sanctorum*, ait Psalter regius ps. 115. Nam, ut Bernardus loquitur, mors est finis laborum, consummatio victoriae, janua vitae, perfecta securitatis ingressus. Et serm. 41. ex parvis: Bonorum mors optima, quoniam fit ibi quies à laboribus, fit jucunditas

(b) Scelerati non lugendi. (c) Moderandus luctus. (d) Mors bona.